

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXXVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

LXXVIII.

S Etiam mihi dolet & valde quidem, Reverende & clarissime Dn. Doctor, quoddam responsio mea ad proximas subinde missas literas tuas usque in hunc diem dilata est. Excusationem autem justam habeo, non tantum, ob alia varia objecta impedimenta, sed etiam propter defectum tabellariorum, aut aliorum viatorum, quibus rectè meas literas committere potuissem. Quotidie exploratum frustra mihi famulum. Respondeo autem breviter, primum ad illas, quas Storckelius reddidit. Equidem turbam illam periculosissimam & cum maximo scandalo conjunctam, quam duorum istorum contentio parit, tecum deploro. Antequam tu venisti Clagenfurtum, tristis illa fama ad me perlata est. Gavisus autem sum & adhuc valde gaudeo, quod tu ad illam provinciam mira DEI providentia vocatus es, quem omnium maximè idoneum & felicem fore confisus sum & adhuc confido, ad sedandam illam turbam. Ego nunquam quicquam de illo motu vel dicere vel scribere ad aliquem volui. Cujus causa te non fugit. Fit enim quod scriptum est, oderunt me gratis. Corripientem in porta abominati sunt. Est quidem salutare tuum rectumque & in ita societati congruum consilium, de me & Spindlero accersendis ad dirimendam controversiam. Sed in hoc te non audient. Ut Spindlerum forsitan ferre possent: Ego illis magis, quam ullus coluber, invisus sum. Acquisitum & admodum amabile (ut quidem simulabatur) cum Provinciali Capitaneo colloquium, in quo tandem form. C. subscriptionem extorsi, deinde & sermones aliqui cum Domino à Danhausen/ fori provincialis direttore, & quibusdam aliis, amanter quidem, non tamen adulatoriè (quales ipsi amant) colati, hoc odium & tam insensos animos mihi genuerunt. Est alioqui singulare fatum meum, quod ab ipso die, quo in hanc terram vocatus veni, ferè omnibus cum Stiris tum eorum sociis invisus sum, quod implacabile odium quidam ex fratribus & confortibus semper, oleo igni infuso, augere & ad summum vigorem evehere studuerunt, & adhuc impia huic operæ omnium diligentissimè incumbunt. Patientia meum animum cohibeo, fructum laborum ex DEI benedictione expectans. Porro cum mentionem fecerim subscriptionis tibi notæ, ex te jam cognoscere cupio, an etiam typis excusæ extent Carinthiorum subscriptiones? Memini me ad te Heydelbergam mittere, quemadmodum ad Dominos meos ex Carinthia missas acceperam: sed sæpe à nostris interrogatus, nihil respondere potui, quàm me nescire, an excusæ & sparsæ sint per Ecclesias. Rogo igitur, ut me certiore facias.

Quod deinde ex literis de Zachariæ Holtzbecheri conversione & beata morte intellexi, triste quidem in specie, sed lætissimum re ipsa fuit nuntium. Ego quidem jam cum Dominis nostris tractare cæperam, ut patri morem gererent, in mittendo illo Rostochium. Sed reiterata ejus relapsio mihi fe-

re omnem

rè omnem spem veræ & durabilis correctionis ademerat. Exaudivit ergo preces nostras DEUS & mirifica via illum ad sese retraxit. Gaudent angeli, gaudeamus & nos & gratiam DEI gratis animis concelebremus. Ego dabo, DEO volente, operam, ut publicetur & publicè nota fiat tota historia, in qua re, ut mihi, quod optimè potes, adjumentum afferas, rogatum volo. Proxima hebdomade Pomeranus quidam, ex discipulis nostris, ad Jesuitas defecit. Paulò ante eum concionator quidam in *Ysenegk*. Revocatio publica à Jesuitis spargitur, super qua insolenter ferociunt. Opponenda illis melior nostri *ἀντὶ τῆς* revocatio est.

Quid præterea in literis tuis responso indigeat, memoria festinanti jam non suggerit. Non enim literas ex scrinio requisivi, facturus hoc propediem. Bene enim sunt custoditæ. Unum itaque nunc & alterum verbum de me & aliis quibusdam assignabo. Dn. D. Johannem Matthæum, qui per aliquot nunc annos Witembergæ Theologicas lectiones proponit & magna cum laude ibi versatur, tibi notissimum esse arbitror. Ejus literas, ad me 9. Januarii scriptas, ante tres septimanas demum accepi, in illis præter alia, hæc verba invenio.

Noster Cancellarius, D. D. Johannes Sagittarius, & D. D. Martinus Henricus, pia memoria, ambo Professores Theologia in nostra Academia, diem suum obierunt, ante paucos menses, in quorum locum jussu & mandato Electoris Augusti &c. Principis nostri clementissimi, vocati sunt ab Academia D. D. Philippus Marpachius, & D. D. Georgius Mylius, qui Augusta rexit Ecclesiam, nunc à Jesuitis, ut te scire arbitror, miris technis expulsus. An verò vocationem sint suscepturi, nondum scimus. Tabellarius enim, qui literas vocationis ad eos perfert, nondum rediit, &c.

Miratus fui, hæc legens, quòd nunquam quicquam de illa tui honestissima vocatione mihi significasset. Quin enim jam pridem literas ejus acceperis, dubitare non possum. Scribe, quæso, propediem ad me, quo tempore ad vocationem illam splendidam & divinitus oblatam profecturus sis. Quòd enim accepturus sis, persuasissimum est mihi, licet optanti, ut hisce miseris Ecclesiis excellentissimo tuo dono perpetuò commodare posses. Sed credo puniturum esse DEUM horum hominum ingratitude & fastidiosum contemptum. Ex animo tibi de honorifica illa vocatione, gaudente & exultante corde, gratulor, in qua non mihi soli, sed toti Ecclesiæ permultum utilitatis, laboribus tuis benedicente Domino, afferre poteris.

Adjunctas literas Stenglinus noster ad me misit, quas prius ad te mittere non potui.

Quæ Pallas (fortè ebria potius quam sobria) Laurentio, nuper hic ordinato, immiserit, ut meum ad Dionysiaca adventum vobis polliceretur, valde miror. Fortè in somnis ei tale quid objectum fuit. Mihi certè nunquam in men-

in mentem venit: nec certè tali otio abundo, quod me animi oblectandi causa expatiari pariatur. Quod si DEUS alioqui nos conjunxerit, mutuo & fraterno colloquio nos oblectabimus.

Plura jam non succurrunt animo, de captivis enim & exulaturis hisce diebus, & de descendentibus quibusdam civibus, tum de animis provincialium, Josephi contritione minimè sollicitis, quid scribam? lachrymas meas super illa miseria in saccum saum colliget Dominus. Exultant Jesuitæ, quibus jam publica Academia privilegiis Papæ & Imperatoris munita & ad omnem promovendi facultatem instructa erigi dicitur. Fertur, Nuncium Apost. solenniter, paucis elapsis diebus, rem totam peracturum & septuaginta doctos viros cum multis discipulis in via esse ex Italia & aliunde, ut in illa Academia doceant & discant. Conservet nobis DEUS præsepe nostrum in Bethlechem, Hierosolymis dominantur Pontifices & Pharisei. Certè de Scholarum nostrarum corrigendo & ornando statu perquam libenter tecum conferrem, si fieri posset. Sed forsitan fiet. DEUS te ab omni malo cum tuis omnibus custodiat Amen. Salutem mea tuæ, tibi que & tuis omnibus dicit. Data Græcii in Stiria, 21. Martii st. vet. Anno 1585.

R. D. I.

studiosè colens

Jeremias Hombergerus.

LXXIX.

Sal. in Servatore Christo.

L iteras tuas, Reverende & Cl. D. Doctor, amice & frater in DOMINO honorande, heri demum sub vesperam accepi, nec adhuc sanè eas haberem, nisi à Schonpuchlero eas peti jussissem, significante mihi M. Menero tuo, penes eum illas esse. Excusavit se tamen Schonp. quod semel atq; iterum me quæverit, sed domi non offenderit. Sanè, quantum potero, enitar, ut Illustris & Generosus D. Capitaneus provinciæ vestræ intelligat, commendationem tuam magnum apud me pondus habuisse. De tua autem conditione, quando mutari illa jam non potest, acquiesco, & ut eam istis regionibus utilem esse futuram habeo persuasissimum, ita spero, Dominum nobis quoq; prospecturum, quanquam profecto res valde difficulter procedit. Dabis autem, ut scribis, operam, omninoq; eniteris, ut dissentientes quorundam apud vos animos, ad æquitatem & modestiam inflectas, ne privatae illæ concertationes in publicam Ecclesiæ perniciem exeant. Nostra conjunctio, ut spero, sem-

R r r

ro, sem-